

multa admiratione suspensus diutius loquentem libenter sustinui, et cursum sermonum vestrorum interrumpere indignum judicavi, et eo ipso ista

A elegi tandem tacita venerari admiratione, quæ mihi videntur nullo ad plenum posse explicari sermone.

## EXPLICATIO

### ALIQUORUM PASSUUM DIFFICILIUM APOSTOLI.

Si ea quæ de lege ab Apostolo diversis in locis dicuntur ad invicem conferantur, multa eis contrarietas inesse videtur. Videtur namque esse contrarius sibi ipsi, contrarius rationi, contrarius veritati, et quod his omnibus amplius est, sententiæ ipsius Domini. Audi itaque clamantem atque protestantem: *Quia ex operibus legis non justificabitur omnis homo* (Rom. iii). Quomodo non est in hoc contrarius sibi, cum ipse protestetur alibi, quoniam: *Non auditores, sed factores legis justificabuntur* (Rom. ii). Item alio loco: *Lex, inquit, sancta est, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (Rom. vii). Iterum alias ab eodem dicitur: *Lex iram operatur* (Rom. iv). Quid magis contra rationem videtur, quam quod mandatum quod sanctum, justum et bonum dicitur apud justum et pium Dominum, iram, non gratiam potius operetur? Alias autem dicit, quod: *Lex neminem ad perfectum adducit* (Hebr. vii). Quomodo, quæso, id veraciter dici potuit, vel quomodo in hoc veritati contrarius non fuit, cum tempus legis tot justos, et tam perfectos habuerit? Nunquid Elias perfectus non fuit, in cuius spiritu et virtute, juxta Dominicum testimonium, venit quo inter natos mulierum major nemo surrexit? (Matth. xi.) Quid de cæteris prophetis, quid de justis et regibus dicturi sumus, qui quod apostoli viderunt, videre voluerunt, nec potuerunt? Si legis prævaricatores erant, nunquid justis esse poterant? si observatores, nunquid inde justis non erant? Sententiæ vero Domini contraria sentire videtur in eo quod alias loquitur: *Si enim lex data esset quæ justificare posset, vere ex lege esset justitia* (Galat. iii). Legisperito autem quærenti quid faciendo vitam æternam possideret, et ad illius interrogationem Domino prima et maxima legis mandata proferenti Dominus respondit: *Hoc fac, et vives* (Luc. x). Quid ergo? Nunquid non potest obtineri justitia unde obtinetur vita æterna? an vita æterna poterit haberi sine justitia? Quis quid horum dicat, vel dicere præsumat? *Hoc, inquit, fac, et vives*. Vives haud dubio diligendo ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum tuum, et proximum tuum sicut teipsum. Sunt qui dicant opera legis esse quæ sunt ex timore, opera vero Evangelii quæ sunt ex amore. Servire autem sine dilectione non potest hominem justificare. Unde et secundum eos dicitur merito quia ex operibus legis non justificabitur omnis homo. In testimonium vero

assertionis suæ adducunt quod alias in Apostolo legunt: *Non enim accepistis iterum spiritum servitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus: Abba (Pater)* (Rom. viii). Constat itaque, inquit, quia sub timore serviebant qui spiritum timoris, non amoris acceperant. Hinc est quod adhuc addunt, quod lex sit mandatum sine gratia, Evangelium vero mandatum cum gratia. Fateor, non me recolo legisse ubi lex præcipiat servire ex solo timore, ubi prohibeat implere mandata ex vera dilectione. Nunquid, quæso, legis opera non erunt quæ ipsa injungit, et ejus opera erunt quæ ipsa non tradit? Sed dicunt quia spiritum servitutis acceperunt qui sub lege fuerunt. Audacter dico, et indubitanter affirmo, quoniam eorum qui tempore legis, et eorum qui tempore Evangelii hucusque fuerunt, alii spiritum timoris, alii vero spiritum dilectionis acceperunt. Nunquid soli illi legem non tenuerunt, qui, abundante charitate et timorem foras mittente, ex sola dilectione observaverunt? Legis certe est, et Evangelii doctrinam exhibere: Domini vero gratiam dare, vel subtrahere, et spiritum pro beneplacito infundere. Quid ergo sibi volunt qui dicunt legem esse mandatum sine gratia, Evangelium vero mandatum cum gratia? Quam sæpe videmus temporibus nostris habere majorem gratiam in exsequendis mandatis imperitos auditores, quam quosdam peritissimos Evangelii prædicatores. Nunquidnam Evangelium non est quod docent qui apostolicam doctrinam eruditissime prædicant, sed implendi gratiam nec ipsi habent, nec aliis dare valent? Nunquid antiqui illi sine lege vivebant qui legis doctrinam simul et gratiam acceperant?

Sunt item qui dicunt sola illa recte dici legis opera quæ cum lege sunt inchoata, et cum lege terminata. Sed dico interim quod sentio, et ad hæc succincta brevitate respondeo. Opera illa legis quæ cum lege sunt inchoata, et cum lege terminata, aut justificabant impleta, aut non. Si itaque justificare potuit eorum impletio, quomodo verum erit quia ex operibus legis non justificabitur? Sunt forte qui dicunt, et si non dicunt, non inepte dicere potuerunt, quod merito distinguendum sit inter opera naturalia, legalia atque evangelica. Merito namque opera illa specialiter Evangelio conscribenda sunt quæ ex Evangelio institutionem acceperunt, quemadmodum sunt regeneratio, confirmatio et Domini corporis

et sanguinis communio, et nova quorumlibet institutio. Legalia vero sola illa modo quodam speciali sunt dicenda, quæ, uti jam dictum est, cum lege sunt inchoata, et cum lege terminata. Naturalia vero illa merito dici debent, quæ ab hominibus per legem naturalem intelligi potuissent, etiamsi lex et Evangelium nunquam instituta fuissent. Juxta hanc utique distinctionem forte dicturus est aliquis, quia per legis opera debemus intelligere illa sola legalia instituta de quibus tenemus pro certo quoniam ex sola illorum impletione non justificabitur omnis caro. Legis autem nomine, ut alicui forte videbitur, oportet intelligi tam naturalia decreta, quam legalia instituta, quantum utraque in lege sunt scripta. Dicit enim Apostolus: *Factores legis*, non factores operum legalium justificari. Sed quod de lege affirmat, de operibus legis negat. *Ex operibus legis*, inquit, *non justificabitur omnis homo*. Non dicit ex lege, sed ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Et item alio loco: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis* (Rom. iii). Ibi dicit quoniam ex legis operibus homo justificari non potest. Hic dicit, quantum sine legis operibus justificari potest. Si quis Apostolum sic sensisse existimat, quæro ut super hoc mihi respondeat, utrum Apostolus hoc dicat de statu præsentis, an potius de statu priori? Si hoc dixit de tempore prioris status, videbitur adversari testimonio legis et prophetarum textus sermonis illius. Nonne quotidie lex clamabat ut peccator, et pœnitens juxta modum quantitatemque peccati hoc vel illud tum pro peccato, tum pro delicto offerat, et remittetur, inquit, ei, et propitius ei erit Dominus (Num. xxx)? Quomodo, quæso, homo inde non justificatur unde ei peccatum dimittitur, et Dominus propitiatur? Si vero hoc quod de operibus legis dixit pro statu hujus temporis intelligi voluit, quid, quæso, magnum dixit? Nam, si adhuc animalia sacrificamus, procul dubio aut judicamus, aut gentium more idololatriæ ritus prætendimus. Dico itaque pro istis quod Apostolus dicit de sacramento circumcisionis; quoniam, si adhuc sacrificiis et cæteris legis cæremoniis insistimus, Christus nihil proderit nobis. Vultis autem apertius nosse quæ dico? Certe quæ in lege ad expiationem peccati immolabantur, in figura futurorum sacrificabantur. Nam Christi passionem et mortem in redemptionem peccatorum futuram præfigurabant, et eo ipso virtutem expiationis et sanctificationis habebant. Si igitur adhuc in figura futurorum sacrificamus, falsitati non veritati deservimus. Nam, *Christus reurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (I Cor. xv). Si absque redemptionis nostræ figura sacrificamus, idololatriæ, ut dictum est, formam prætendimus, et in eo ipso animalium sacrificia Christo conferimus, et (quod sceleratius est,) ipsi præferimus. Nam si sola illa contempto divino sacrificio offerimus, Christo procul dubio ea præferimus. Si cum divina hostia, et illa (velut ex utrisque salutem quærentes) offerimus,

A procul dubio ea Christo conferimus, et Christi hostiam velut minus sufficientem judicamus. Quid ergo magnum est Apostolo dicere quod ex legalibus operibus nemo justificabitur, cum ex eorum exercitiis quilibet reprobabitur, potius quam justificabitur?

Sed ad ista fortasse respondes, et dicis: Propter quosdam legis zelatores, quos lucrifacere potius quam scandalizare cupiebat, parcius quidem dicebat, sed tamen vera dicebat. Nam quantum ad præsentem statum, legalia instituta inquinant potius quam sanctificant. Quantum vero ad priorem statum sine naturalibus decretis, sola legalia hominum ad salutem sufficere non valebant. Hinc est quod non dicit ex lege, sed *ex operibus legis non justificabitur omnis caro*. Et iterum: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*. Sine operibus legis, inquit, non sine lege, sub nomine operum intelligere volens sola legalia, sub nomine legis tam legalia quam naturalia, utpote quæ continebat ista et illa. Hinc est quod dicit, quia *factores legis* justificabuntur. Quid enim sanctius, quid justius, quid denique perfectius esse potest, quam diligere Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, et proximum sicut seipsum? Conferre itaque lex potuit justitiam, nec qualemcunque, sed plenam atque perfectam. Ad hæc breviter ipse respondeo et dico: Si Apostolus ita sensit quod lex perfectam justitiam conferre potuit, quid alias dicit quod *lex neminem ad perfectum adduxit*? Si ex lege justitia confertur, quomodo *iram operatur*? Nunquid conferendo justitiam operatur iram, et iram operando conferre potest justitiam? Quantum mihi videtur, aliam ab antedictis expositionem quærere oportebit qui sensum apostolicum intelligere voluerit. Quantum mihi videtur, in his omnibus necdum perierunt illæ quæstiones, in quibus aliquando, ut Augustinus scribit, sibi visus est adversari testimoniis legis et prophetarum textus apostolici sermonis. Qui enim dicit ex legalibus operibus hominem non posse justificari, nonne adversari videtur Moysi scribenti, imo Domino jubenti: *Homo qui cognoverit peccatum suum offerat hoc vel illud et remittetur ei, et propitius erit ei Dominus*.

D Compellit me importuna vestra petitio super his quæ proposita sunt dicere quæ sentio, et fidenter spero ubi Joannes quærit, gratia non deerit, tam ad veraciter sentiendum quam ad utiliter proferendum. Non est nostri moris maxime in rebus magnis, et multum profundis, aliquid de nostro sensu præsumere, vel quasi auctoritate nostra aliquid statuere, vel affirmare. Itaque de ipsius sacræ Scripturæ testimoniis, in quantum dederit Dominus, eliciamus unde dubitationis nostræ nodos dissolvere possimus. Illud autem certissimum est, et de quo nemo dubitare potest, quia lex aut talis erat quæ impleta justificare poterat, aut talis quæ nec impleta quidem justificare poterat. Sed, si impleta justificare non posset, nullo modo Apostolus diceret,

quod factores legis justificarentur. In eandem sententiam currit quod Dominus de duobus maximis mandatis legisperito dixit: *Hoc fac et vives*. Ecce quomodo certa auctoritas probat quod lex impleta justificat. Iterum dico quod lex aut talis erat quæ ab illis quibus data est impleri poterat, aut talis quæ ab eis impleri non poterat. Sed hoc ipsum quod quærimus apostolico iterum testimonio comprobemus: *Quod impossibile erat, inquit, legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens, in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justitia legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum* (Rom. vii). Perpendis, ut arbitror, ex his quam impossibile fuit legi justificare, quamque necessarium nobis erat pro tali remedio ut Deus Filium suum mitteret, ut Dei Filius seipsum exinaniret, et in similitudinem carnis peccati veniret, et de peccato peccatum daret, ut vel sic justitia legis impleretur in nobis. Sed nunquid totum quod legis erat, etiam impossibile erat? Minime, sed in ea parte qua lex infirmabatur per carnem. Vultis et illud audire, quomodo infirmabatur ex carne: *Caro, inquit, concupiscit adversus spiritum* (Galat. v); et alibi: *Scio quia non habitat in me* (hoc est in carne mea) *bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (Rom. vii). Si itaque prolata testimonia diligenter discutimus, absque dubio inveniemus quod quædam præcepta legis talia erant quæ impleta justificabant; quædam autem, quamvis impleta, minime justificabant. Nihilominus vero quædam talia erant quæ impleri poterant, et quædam, quæ procul dubio impleri non poterant. Sed quæ impleri poterant absque dubio justificare non poterant, et e converso quæ justificare poterant impleri non poterant. Merito ergo clamat Apostolus: *Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro*. Si nulla caro, nullus homo, quantum omnis homo caro; quia carnalis venundatus sub peccato. Quomodo, quæso, caro factus et carnalis effectus justificari potest, vel ex eo quod facere potest, et justificare non potest, vel ex eo quod justificare potest et facere non potest? Lex namque docet quid homo debeat facere, sed non æque docet quomodo quod præcipitur possit implere. Ex sola itaque lege sola cognitio, non autem et impletio. Hinc est quod cum præmissum sit ab Apostolo quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro, statim subjungit et adnotat: *Per legem enim cognitio peccati* (Rom. iii). Ecce habes utrumque et quid non sit ex lege, et quid sit ex lege. Per legem peccati cognitio, utinam et abolitio. Si enim abolitio, procul dubio et justificatio. Dico itaque: Si nemo justificatur ex lege, ergo aliunde. Nam quod nemo justus sit vel fuerit quis audeat dicere. Audi quid Dominus dicat apostolis: *Multi justii et prophetae voluerunt videre quæ videtis, et non vident* (Luc. x). Si justii, utique et justificati. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius* (Rom. iii). Ipse est enim qui ju-

*stificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem* (ibid). Ecce ex his aperte cognoscitur unde homo justificatur. Procul dubio per fidem, non autem per legem. *Justitia enim Dei per fidem Jesu Christi* (ibid.). Ecce aperte habes quod ex fide est justitia.

Sed restat quærendum utrum semper ex fide sola, an aliquando ex sola fide sine operibus, et aliquando ex fide simul et operibus. Quæramus, si placet, super hoc ipsum ipsius Apostoli testimonium: *Arbitramur, inquit, justificari hominem per fidem sine operibus legis*. Ecce iterum habes aperte quod possit homo aliquando justificari ex sola fide absque legis opere. Sed nunquid semper ex sola fide, et siue omni legis opere? Minime. Nam si tempus operandi habet, *fides sine operibus mortua est* (Jac. ii). Non enim auditores legis, sed factores justificabuntur. Absque dubio quando homini tempus operandi conceditur, ab eo, nec immerito, divinitus exigitur fides quæ per dilectionem operetur. Ex prolatis itaque testimoniis manifesto colligitur quod homo quidem justificetur quandoque ex sola fide, quandoque ex fide simul et legis opere, nunquam vero ex sola lege. Ex his itaque, ut arbitror, perpendi potest quod Apostolus in suis dictis sibi contrarius non est. In eo siquidem quod dicit uno loco, quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro, aperte dat intelligere quod humanæ industriæ omnino non sufficit sola legis doctrina sine fide Christi et gratia: *Gratia, inquit, Dei sum in quod sum* (I Cor. xv). Sed item, ne lex talis esse putetur quæ impleta justificare non possit, ideo de eadem alio loco dicit: *Non enim auditores, sed factores legis justificabuntur*. Nam sive concedatur, sive non concedatur quod alicui homini tanta gratia data, vel danda sit, quod eam implere possit, nihilominus tamen verum est quod ejus impletio sit hominum justificatio. Docet ergo Apostolus quod lex per se sola nunquam homini confert justitiam, imo quod adhuc gravius est, operatur et iram. Sed unde hoc utique contingat, Apostolus ipse subjungendo manifestat: *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (Rom. iv). Inde enim iram operatur, quoniam ex sola legis doctrina sine adjuncta gratia auditores legis non tam factores quam prævaricatores efficiuntur. Nam, ne legis mandata inepta potius quam impossibilia putarentur, ideo ab Apostolo alio loco dicitur: *Lex quidem sancta et mandatum sanctum, et justum et bonum*. Putas fortassis de solis moralibus mandatis hoc dictum. Ego audacter dico de quolibet legis instituto quod tempore suo fuerit sanctum, et justum et bonum utpote a Deo institutum, et homini divinitus injunctum.

Quid, quæso, fuerunt sacrificia, nisi passio Christi et mortis figura, eo ipso ejusdem sacramenta? Erat itaque in uno eodemque opere et redemptionis nostræ figura et debita obedientia. Certe si Abraham filium suum sine divino præcepto maciari voluisset, summa impietas et horrendum flagitium esset. Si ergo sanctum, et justum, et pium

fuit filium suum ad Domini mandatum sacrificare, cur non eodem modo dicatur sanctum, et justum, et bonum pecus quod sine peccato occidi potest, ad Domini mandatum Domino offerre et immolare? Quod igitur lex iram operabatur, non fuit ex legis imperfectione, vel inordinatione, sed ex hominis infirmitate et imperfectione. Vultis et hoc ipsum non ex me, sed ab ipso Apostolo audire: *Scimus, inquit, quod lex spiritualis, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio (Rom. vii)*. Ecce jam habes unde prævaricatio, ecce jam tenes quod non sit ex legis, sed hominis vitio. Nihil igitur contra rationem dicitur in eo quod clamat quod mandatum sanctum et justum iram operatur. Juxta Dominicum testimonium verum est, nec possumus negare quod ante adventum Christi multi justii fuerunt et prophetae, non tamen veritati contrarium fuit quod Apostolus dixit, quia lex neminem ad perfectum adduxit. Quod enim justii fuerunt, et quidquid perfectionis habere potuerunt, hoc eis contulit non nuda legis doctrina, sed adjuncta gratia divina. *Non enim est volentis neque currentis, sed miserentis Dei (Rom. ix)*. Nam nequaquam sunt justificati sine fide et gratia Christi. Nam, nisi Christum venturum crederent atque sperarent, nullo modo ejus adventum tanto tempore desiderarent. Quid enim aliud sonat quod Dominus apostolis dicit: *Multi reges, et prophetae voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt? (Luc. x.)* Eorum itaque justificatio non tam ascribitur legi quam fidei, et gratiæ Christi. Nunc illud consideremus, quomodo Dominicæ sententiæ non sit contrarium hoc quod Apostolus de lege sentit cum dicit: *Si enim data esset lex quæ posset justificare, vere ex lege esset justitia*. Vides quia secundum Apostolum lex nec vivificare, nec justificare potest; sed ut quid hoc, nisi quia impleri non potest? Non enim potest homo non concupiscere, sicut nec toto corde, tota anima, tota mente diligere, quo tamen nihil est sanctius, nihil utique est justius. Certe si ignaris, sed sanis, et ad perficiendum robustis talis lex data fuisset, absque dubio obedire volentes et justificare et eo ipso sanctificare potuissent. Sed data est pro certo infirmis, et multum imperitis, et ad implendum minus idoneis. Item si doceret ignarus quid eos oportet facere, et infirmos similiter quomodo possent impetrata perficere, procul dubio quod fateri oportet et justificare et vivificare potuissent. Docet autem lex tantum quid debeat fieri, sed non docet quomodo sibi infirmis posset impleri. Negat autem Apostolus quod ex sola cognitione sive doctrina perficiendi; negat, inquam, et merito, hominem non posse vivificari. Sed quod Apostolus negat de sola mandati cognitione, Dominus affirmat de mandati impletione: *Hoc, inquit, fac, et vires*. Non dicit, si hoc scis, vires; sed, hoc fac, et vires. Quod igitur Dominus affirmat, Apostolus non negat; et quod Apostolus

negat, Dominus non affirmat. Nam, ut dictum est, Apostolus loquitur de sola mandati cognitione, Dominus autem de ipsius impletione.

Hic non immerito quæritur qua ratione illis imputetur, vel quomodo in eis iram operetur quod legem non impleverunt qui eam implere non potuerunt, vel quid eis profuit talem legem accepisse quam nullo modo potuerunt implere? Talem certe, nec immerito, legem accipere debebant, qui omnia de propriis viribus, non de divino adjutorio præsumebant, juxta quod ad Moysen fiducialiter dicebant: *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus (Exod. xxiv)*. Quid tibi videtur, qui post tantam et tam constantem promissionem omnino neglexerunt? Nunquid eos excusare poterit tanta negligentia, vel qui fortiter insistentes, sed deficientes per proprium defectum et multiplex experimentum humiliari non potuerunt, nunquid eos excusare potest tanta superbia? An illos, quæso, qui per multam experientiam infirmitatem suam agnoverunt, sed ad impetrandam adjutricem gratiam desides fuerunt, poterit excusare tanta desidia? Quis hoc dicat, vel dicere audeat? Ex his itaque facile perpendere potes acceptæ legis prævaricatores quam sint inexcusabiles. Nam illi quidem qui pro viribus satagentes, et deficientes tum per proprium, tum per alienum defectum suam infirmitatem et impossibilitatem agnoverunt, et in divino adjutorio de cætero totam spem suam posuerunt, impetrata et accepta divinitus gratia, justificari meruerunt. Data itaque lex aliis profuit, et aliis omnino non profuit. Sane profuit viventibus bene, obfuit autem utentibus male. Ubi vero obfuit, non fuit vitium legis, sed vitium abutentis. Ad hoc namque lex data erat, quæ impleri debuera, et impleri non poterat ut satagentes et deficientes intelligerent quam frustra de suis viribus præsumerent, quod sine gratia divina implere non possent.

Adhuc fortassis insistentis, et dicitis quia quidquid de lege dictum est, etiam de Evangelio dici potest. Nam, sicut non sufficit ad justitiam legis doctrina sine gratia divina, sic procul dubio nec doctrina evangelica sine gratia divina, neutra impleri potest, neutra justificare potest. Cur ergo quod de lege dicitur non dicatur de Evangelio, quod ex operibus Evangelii non justificabitur omnis caro? Nunquid et ipsum neminem ad perfectum adducit de quo constat quod sine gratia impleri non possit? Juxta eandem considerationem possumus æstimare quod omnino non possit aliquem vivificare, sicut nec justificare. Ad hæc autem respondeo, et dico quod doctrina legis est simplex, evangelica triplex. Evangelium siquidem docet quid debeat fieri, quomodo possit impleri, et quod impletum non fuerit quomodo possit suppleri. Docet autem solummodo lex, ut dictum est, quid homo debeat facere, nec addit quomodo possit implere, et ea propter neminem potest justificare. Evangelica autem doctrina ut sit usquequaque perfecta, docet tria illa jam dicta. Quid facere debeas doceris cum a Domino au-

do: *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos (Joan. xviii)*. Sed, ne quis idipsum de suis viribus præsumat, ab eodem magistro docetur, cum alias ab eodem dicitur: *Sine me nihil potestis facere. Sicut palme non potest fructus facere nisi manserit in vite, sic et vos sine me nihil potestis facere (Joan. xv)*. In acquirenda igitur gratia per quam possimus implere quod volumus, quis, quæso, erit obtinendi modus? *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis (Joan. xiv)*: Si gratia egetis, petite secundum quod debetis, et accipietis. Sed quomodo in ejus nomine petimus si in ipsum credimus? Hoc est quod te docere voluit, cum dicit: *Creditis in Deum, et in me credite (ibid.)*. Qui igitur quod debet implere non potest, in Christum credat, in Christo petat Patrem qui omnia potest. Postulet itaque Spiritum illum qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. Spiritum, inquam, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult. Si fide qua oportet hunc petitis, procul dubio accipietis. Si enim nostis cum sitis mali bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se? (*Luc. xi*). Ecce aperte habes, ut arbitror, quod a te debet fieri, quomodo, vel qua ratione possit impleri.

Sed adhuc tibi quæris ostendi unde hoc quod per negligentiam, vel alio quolibet modo impletum non fuerit, possit suppleri. Dic tu prius quantum debes Domino tuo. An forte centum cados olei? Debitum grande, et ad solvendum difficile. Debitum grande diligere Deum ex toto corde, tota mente, tota anima. Ecce debitum decem millium talentorum. Non mirum, si multum times et trepidas, sed breviter audi quid facias. Dimitte denarios centum qui debentur tibi, et omne debitum dimittetur tibi, et cum fiducia pro te tuique similibus orare poteris, dimitte nobis debita nostra sicut et nos, etc. Quid, inquis, si mihi nil debetur, quomodo quod ipse debeo mihi dimittetur? Eodem ordine, ex eodem fonte unde hausisti in exsequendis gratiam, hauri et in miserendis miserationis indulgentiam. Videre potes ex his certe ad perfectionem doctrinæ Evangelio nihil deesse. Habes in eo unde possis justificari, habes ex eo unde possis vivificari. *Qui manducet, inquit, carnem meam et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam (Joan. vi)*.

Quid adhuc amplius quæris? Nunquid tale aliquid potuit agnus ille legalis? Ecce Evangelium exhibet unde homo justificari possit, quod legalis doctrina omnino non potest. Sane sub lege multi fuerunt perfecti, certe sub tempore Evangelii multi sunt imperfecti. Legi tamen non ascribitur illorum perfectio, sic nec Evangelio istorum imperfectio. Nam hoc illis contulit gratia divina, non autem legis doctrina.

*Ex operibus legis non justificabitur omnis caro (Galat. ii)*. Aliud est esse justum et aliud est esse justificatum. Siquidem Deus est justus, nec tamen

justificatus. Constat autem quoniam peccatum facit hominem injustum. Quid itaque est peccatorem justificari, nisi a peccato liberari? Ex peccato namque fit homo tam obnoxius vitio quam supplicio. In uno obligatur ad culpam; in alio obligatur ad pœnam. In uno incurrit debitum servitutis, in alio vero debitum æternæ damnationis: *Qui facit peccatum, servus est peccati (Joan. iii)*. Qui autem servus est, eget redemptione ut possit liber exire. Lex autem nec docet unde homo rellimi debeat, nec exhibet unde liberari valeat. Legis itaque doctrina non liberat a peccato, et (quod consequens est) ex ea non justificabitur omnis caro. Quid tamen lex facit? Docet quid homo debeat facere, docet quid debeat cavere, sed non docet quomodo possit implere. Prohibet concupiscere, præcipit Deum ex toto corde diligere; præcipit amorem ordinatum, prohibet inordinatum. Audistis quid facit, audite quid efficit. Quod prohibet a carne omni hora agitur; quod præcipit vero nunquam a carne impletur. Unde et ex ejus operibus nemo justificatur. Quidquid enim docet aut tale est quod facere non potest, aut tale quod justificare non potest. Ex his, ut arbitror intellexisti quæ sit frequentia peccandi. Attende nunc quæ sit violentia peccati. Præcipitur in lege pro certis quibusdam peccatis ut prævaricatorum alius lapidetur, alius comburatur, alius alia quacunque morte moriatur. Verumtamen multa ejusmodi crimina a legis auditoribus committebantur. Facile itaque perpendi potest quanta violentia peccati, quæ in quibusdam nec ipso mortis periculo potuit coerceri. Data itaque lege et sequente frequenti et multiformi prævaricatione, manifeste innotuit quanta sit frequentia peccandi, quantave violentia peccati. Hinc est quod cum præmissum sit ex operibus legis non justificabitur omnis caro, statim subjungitur ab Apostolo: *Per legem enim cognitio peccati (Rom. iii)*. Aperte itaque datur intelligi vel dat intelligere, quoniam per legem est sola cognitio peccati, non autem et abolitio. Nam, si abolitio, utique justificatio. Mirabitur fortassis aliquis cur non dicatur potius cognitio mandati, quam cognitio peccati; nam et illud æque veraciter potuit dici. Nam, sicut per legem sola peccati cognitio, non autem abolitio; ita per legem sola mandati cognitio, non autem abolitio. Sed quantum mihi videtur, si præmisisset quod ex operibus legis nemo justus esset, vel justitiam haberet, convenientius subjungeret: *Per legem enim cognitio mandati, quam si diceret, per legem enim cognitio peccati. Quid enim rectius dicitur justitia quam divini mandati observantia? Hominis jus. illicatio idem est quod ejus liberatio a peccato. Cum igitur de hominis justificatione præmiserit, facile est videre quam convenienter subjungit: Per legem cognitio peccati, potius quam cognitio mandati.*

*Scimus enim quod lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato (Rom. vii)*. Merito quæritur in quorum persona Apostolus hæc dicit,

maxime propter illa, quæ consequenter adjunguntur.

Quæritur ergo utrum dicatur an in persona infirmorum vel imperfectorum, an potius in persona tantorum quam illorum. Nam quantum mihi videtur, luce clarius constat quid de criminosis, hæc nec exponi debeant, nec recte omnino intelligi valeant. Quis enim deinceps poterit criminis quemlibet de suo crimine rationabiliter arguere, si potest in sui excusationem apostolicum testimonium adducere, et arguenti audacter respondere: Non ego operor illud, sed quod habebat in me peccatum? Quid est enim hæc apostolica verba sic exponere ut possint etiam impiis convenire? Quid, inquam, aliud est quam operarios iniquitatis docere declinare cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis? Sed illud in his Apostoli verbis videtur esse quærendum, utrum sit dictum sub forma perfectorum, an imperfectorum? Sed quomodo potest convenire Apostolo, vel cuilibet perfecto viro, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato? Qui namque merito dicerentur spirituales, si Paulus, vel Pauli similes creduntur esse carnales? Si solis infirmioribus convenit quod hoc loco Apostolus dixerit, procul dubio non efficit quod ex his verbis probare contendit. Dixerat namque de lege quod non possit conferre justitiam, quin potius quod operetur iram. Sed ne hoc crederetur esse ex vitio legis, non hominis, ideo consequenter adjungit et dicit, quoniam lex quidem sancta est, et mandatum sanctum, et iustum, et bonum. Hic autem Apostolus manifeste ostendit quod ex vitio hominis sit quod ex lege justificari non possit, quoniam ad ejus impletionem omnino non sufficit. Sciendum itaque in primis quod secundum diversos respectus positiones verborum diversis modis accipimus. Aliter ergo de homine secundum præsentem statum judicamus, aliter vero secundum illum qui fuit ante peccatum. Secundum præsentem statum alii dicuntur spirituales, alii vero carnales. Sed procul dubio respectu primæ conditionis quantumlibet religiosus non immerito dicitur carnalis. Quantum autem ad præsentem statum, carnales dicuntur qui post concupiscentias suas eunt, et carnalibus desideriis deserviunt. Spirituales qui carnis desideriis fortiter resistunt, et spiritualibus studiis vehementer insistent. Carnalium est carnis concupiscentias sentire et consentire. Spiritualium sentire, nec consentire; sed resistere, sed repugnare, sed mortificare. Sed, si ad primæ conditionis statum respicimus, in eo ipso carnales sumus quod carnis concupiscentias, et fœdas, et inordinatas delectationes sentimus. Si enim homo non peccasset, nec carnalia magis quam liceret, nec spiritualia minus diligeret quam deberet; sed in utrisque diligendis et modestiæ metas, et æquitatis mensuram, et agnoscere simul et observare potuisset. Sed postquam status sui rectitudinem homo sponte deseruit, jam semel sub peccato venundatus, et carnalis effectus ad neutrum sufficit: nam multiformiter quidem et errat iudicio, et ef-

frenatur desiderio. Quam vera itaque est illa prophetica sententia: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Psal. cxlii)*, quam verum est et illud apostolicum: *Si dixerimus quod peccatum non habemus, nosipsum seducimus, et veritas in nobis non est (I Joan. i)*. Tam vere potest intelligi de quolibet religioso, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, unde autem et in quibus carnalis sit ostendit, cum subjungit: Quod enim operor, non intelligo. Non quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Ecce tria mala in quibus consistit carnalitas nostra. Quod facimus non intelligimus; non facimus quod volumus, facimus quod nolumus. Sed duo posteriora Apostolus conjungit, quoniam utrumque ex uno vitio descendit. Ex vitio namque concupiscentiæ descendit utrumque et quod tepidi sumus ad bonum, et fervidi ad malum: *Quod operor, inquit, non intelligo (Rom. vii)*, et hoc illi utique ex ignorantia vitio. Non, inquit, quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Ex hoc utique gemino vitio accipimus, ut carnales simus quandiu in carne vivimus.

Notandum autem quod Apostolus ad unum quod præmisit duo subsequenter adjungit. Præmisit quod carnalis fuerit, et unde hoc ei inesset ex duobus subjunctis ostendit. Repetenda itaque est prima sententia, et ad utrumque subjectum in hunc modum conjungenda. Carnalis sum venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Carnalis, inquam, sum venundatus sub peccato, non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Quisque potest experiri in semetipso quam veraciter dicatur, quod operor non intelligo. Nunquid quid operabatur intelligebat qui Domino in oratione dicebat: *Gratias ago tibi, Domine, quia non sum sicut ceteri hominum? (Luc. xviii)*. Nunquid et illi quid dicerent bene intelligebant: *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus? (Exod. xlii)*. Verba enim videntur magnæ devotionis, et sunt vere verba magnæ præsumptionis. Sæpe unde homo putat excitare devotionem, nutrit elationem, pascit præsumptionem. Sed unde hoc, quæso, nisi quia quod agit non intelligit? Sæpe superbit homo, et nescit. Sæpe præsumit, et interim non intelligit. Pro utraque ignorantia solet subtrahi gratia divina. Nam, dum præsumptuose agit et nescit, subtrahitur gratia ne efficiat quod cupit. Dum superbit et nescit, permittitur sæpe in id cadere quod erubescit et odit, et potest dicere qui ejusmodi est: Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Errat autem non solum in discernendo, verum etiam in deliberando quantumlibet homo spiritualis, dum quod putat cooperari sibi in bonum, cooperatur sibi in malum, et quod sibi credit cooperari in malum, cooperatur in bonum. Sed unde hoc bonum accidit, nisi quia quod operatur non intelligit? Sed quid mirum si quod operamur non intelligimus, qui quid oremus, prout oportet, nescimus. Quis enim in orando decipi non

possit si apostolos Paulus in hoc ipso decipi potuit? A Nam illud a se auferri ter postulavit, quod illi ob humilitatis custodiam tam misericorditer quam utiliter indictum fuit.

*Ut sapiens architectus fundamentum posui. Si quis autem superædificaverit supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit (I Cor. III).* Sunt qui distinguunt hoc loco fundamentum esse fidem ex dilectione operantem. Fidenter dico quod fundamentum tale nemo hominum in corde humano potest ponere. Quid credendum sit homo hominem docere potest. Sed dilectionem homo homini infundere non potest. Caritas siquidem Dei diffusa est in cordibus nostris, non per hominem, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ut sapiens, inquit, architectus fundamentum posui. Quod, quæso, est illud fundamentum quod Paulus posuit, et a Paulo poni potuit? Certe quomodo in Christum credi oporteat Paulus docere potuit, et absque ambiguo docuit. Hoc fidei nostræ documentum constat pro certo spiritualis ædificii fore fundamentum. Primo omnium est ut sciat homo quid debeat credere, vel facere, et hoc potest homo per hominem nosse. Debet itaque prædicator veritatis diligenter edocere quid oporteat credere, quibus operibus debeat homo insistere, vel quomodo perpetrata mala per veram pœnitentiam possit delere, et hoc erit ei fundamentum ponere. Quam multi sunt qui hoc catholicæ doctrinæ fundamentum et habent, et memoriter tenent, sed multum diversa superædificant! Nam alii bona actitant, alii in spe respiscendi peccant. Utrique ergo veræ fidei fundamentum habent, sed diversa superædificant. Alii aurum, argentum, lapides pretiosos; alii ligna, fenum, stipulam. Aurum, argentum, lapides pretiosi non possunt igne consumi. Ista sane possunt per ignem transire, et post incendium manere: *Si cuius, inquit, opus manserit, quod superædificavit mercedem accipiet.* Si igitur per hujusmodi mercedem acquirimus, quid aliud per aurum, argentum, et lapides pretiosos quam bona opera intelligere debemus. In lignis autem, feno et stipula quid, quæso, intelligi oportet, bona opera an mala? Ligna vero, fenum et stipulam solet ignis consumere, et velut in nihilum redigere. Sed absit ut ignis ille futurus bona opera consumere, et annihilare possit. In lignis itaque, feno et stipula non recte intelliguntur, nisi opera concrematione digna, et ad consumendum, non ad remanendum idonea. Quæ sunt ergo ista arsura et igne consumenda, nisi opera mala? *Si cuius, inquit, opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Qui, quæso, sunt isti operarii qui salvantur quidem non quasi per bonam operationem, sed sic utique quasi per ignem? Illud pro certo tenemus quod quilibet malus operarius per ignem purgatorium purgari non possit, nisi de perpetratis malis veraciter pœniterit. Sola siquidem vera pœnitentia facit ut malorum perpetratio

purgatorio igne consumi atque deleri possit. Nulla autem crimina sunt adeo detestanda quæ vera pœnitentia non faciat solubilia. Videntur itaque esse duo genera operum insolubilium, unum autem genus operum solubilium, vera perseverantium bona, perseverantia non pœnitentium mala, et nullo termino delenda. Mala autem vere pœnitentium absque dubio solubilia sunt, et quæ absque dubio igne purgatorio deleri possunt. In lignis itaque, feno et stipula intelligimus quælibet mala solubilia. Sed quoniam igne consumi nequeant, sed in æternum maneant, non solum bona permansura, verum etiam mala insolubilia, quid est quod dicit, cuius opus manserit quod superædificat mercedem accipiet? Sed ad illos solummodo operarios de quibus jam antea præmisit referendum est quod subiungit, si cuius opus manserit. Eorum itaque operariorum qui ædificant non ferrum, plumbum et stagnum, sed aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam; ejusmodi, inquam, operariorum si cuius opus manserit mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Per aurum itaque, argentum et lapides pretiosos intelligimus, ut diximus, bona perseverantia. Per ligna, fenum et stipulam mala solubilia. In auro recte satis intelligitur speculatio veritatis; in argento verbum prædicationis; in lapidibus pretiosis exercitia virtutis; in lignis, feno et stipula intellige perversitatis, superfluitatis et vanitatis opera, per veram pœnitentiam facta remissibilia.

Mirandum fortassis videtur quibusdam quomodo Apostolus judicat flagitiosum illum qui patris sui uxorem habebat tradere Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in diem Domini nostri Jesu Christi. Illud vero non potest in dubium venire, quod virtute, qua potuit dæmoniacum a dæmonio liberare, eadem etiam posset (ubi ratio hoc exigeret) dæmoniacæ vexationi tradere. Sed, si flagitiosus aliquis Satanae traditur et dæmoniacus efficitur, non ei in hoc via salutis aperiri, sed intercludi videtur. Commissa siquidem crimina non possunt deleri sine vera pœnitentia. Dæmoniacus autem, cui sensus deest, quomodo veram pœnitentiam habere potest? Quomodo ergo flagitiosum illum Satanae tradendum Apostolus judicat, ut spiritus salvus fiat? Sciendum itaque quod vexatio dæmoniacæ alia continua, alia interpolata. Continuum vexationem patitur qui nunquam quiescere sinitur, sed continuis furiis agitur. Interpolatam autem vexationem incurrit, qui pro diversis temporibus sensum quandoque amittit, quandoque recipit, et inter multiplices fatigationes animus fatigati aliquoties ad semetipsum redit. Qui igitur interpolatæ infamiae traditus fuerit, pro certo habet quomodo pœnitere, et eo ipso quomodo salvari possit. Quis enim poterit tam obduratæ, tam obstinatæ mentis esse, ut in ipsa suæ vexationis interpolatione, cum animus redierit ad se non doleat, et intime pœniteat illud commisisse; unde contingit et dæmoniacam vexationem incur-

risse, et omni ludibrio patere. Vide ergo quomodo ex vexationis interpolatione sæpe agitur ut ipsa vexatio fiat ei in pœnitundinem, et ex pœnitundine ipsa efficitur ut ipsa vexatio sit ei ad purgationem. Dat ergo Apostolus patenter intelligi cujusmodi vexationi criminosis illum tradi voluerit in eo quod dicit, ut spiritus salvus sit. Nam, sicut ex continua dæmonis vexatione via salutis potuit intercludi potius quam aperiri, sic e converso ex interpolata vexatione videbatur oportere aperiri, potius quam intercludi.

Notandum autem quod tradi in interitum carnis, pro certo quando homo moritur de cætero spiritus ipse carnis obsequiis pro voto non utitur. Caro itaque dæmoniaci suo quodammodo spiritui moritur, quando spiritus malignus ejus obsequiis violenter abutitur, et spiritus proprius debito sibi corporis famulatu privatur.

Mirum tibi videtur quod ab Apostolo dicitur: *Omnia mihi, inquit, licent (I Cor. vi)*. Multa siquidem sunt licita, non tamen omnia. Nam multa sunt omni homini omnino illicita. Sed quod dicimus licere, duobus modis solemus accipere. Eandem enim positionem quandoque strictius, quandoque largius accipimus. Dicimus licere quod potest fieri ordinate. Aliquando dicimus licere quod est nobis liberum facere, sive possit, sive non possit fieri ordinate. Hinc est quod de facinoroso dici solet, hoc vel illud facinus libenter fecisset, si ei hoc facere licuisset; quod est dicere, si facultatem vel opportunitatem faciendi habuisset. Hinc est quod B. Gregorius in suo Dialogo de quibusdam minus religiosis fratribus dicit, qui beatum Benedictum in abbatem elegerant, sed jam eos propter arctioris vitæ disciplinam elegerant pœnitebat, unde et eum veneno extinguere parabant, quia videbant sibi sub eo illicita non licere. Quid est, quod dicit eis illicita non licere, nisi eos ad illicita facienda nullam sub eo licentiam, vel libertatem habere? Scimus quoniam Deus in hominis posuit libertate utrum velit bona an mala eligere. Hinc est illud Sapientis de Domino dictum: *Apposuit tibi iguem et aquam, ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit dabitur ei (Eccli. xv)*. Hinc est quod Apostolus enumeratis tot malis, subjungit, et dicit: *Omnia mihi licent, licent utique non secundum concessionem, sed secundum solum permissionem. Secundum concessionem licent sola ordinata, secundum solum permissionem etiam inordinata. Multa enim Dominus fieri permittit, quæ tamen nulli facere concedit. Omnia, inquit, mihi licent procul dubio quantum ad permissionem, sed non omnia expediunt, nec eorum quidem quæ sunt secundum concessionem. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate, sub nullius videlicet eorum quæ sunt ex sola permissione. Quod enim dicit non omnia expediunt, respicit ad illam licentiam quæ est secundum concessionem. Quod vero dicit, sed ego sub nullius*

redigar potestate, respicit ad eam licentiam quæ est secundum solum permissionem. Multa namque eorum quæ concessa sunt majora bona impediunt, et idcirco non expediunt, nec tamen utentem servituti addicunt. Sed qui facit peccatum, servus est peccati. Si ergo volumus hanc servitutem vitare, et sub nullius redigi potestate, caute declinanda sunt quæ licent ex sola permissione. Quod autem non omnia expediunt quæ secundum concessionem licita sunt, evidenter ostendit, cum subjungit: *Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc, et has destruet (I Cor. vi)*. Esca utique ad ventris refectio-nem sunt facta, et idcirco secundum concessionem licitæ, nec tamen expedit eis nimis indulgere, et studia necessaria omittere. Nimia namque eorum indulgentia ad quid valet, cum veraciter constat quod Deus hunc et has destruet. Quod autem non omnia quæ licent secundum permissionem, liceant secundum concessionem, subsequenter ostendit cum protinus adjungit: *Corpus autem non fornicationi sed Domino, et Dominus corpori (ibid.)*. Esca quidem ad vescendum, venter autem ad utendum. Sed corpus non ad fornicandum, sed suo Domino ad serviendum. Quod enim fornicari possumus sæpe cum volumus, non est indulgentia concedentis, sed probatio, vel desertio permittentis. Superius dixerat quod fornicarii regnum Dei non possidebunt, sed quia prævidebat multos fore qui hoc difficile crederent, et qui fornicationis malum non a seo damnabile putarent, ideo consequenter ostendit in duobus quid de hoc malo sentire debemus. Ostendit namque hujusmodi malum quam sit profundum, et quam sit præ omnibus intimum. Ex opere siquidem fornicationis tolluntur membra Christi, et fiunt membra meretricis. Hinc est videre hujusmodi malum quam sit profundum, quod de tanta sublimitate dejicit in hoc inum et foedum. Audi et hoc ipsum quam sit præ omnibus intimum: *Omne, inquit, peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (I Cor. vi)*. Sed, si volumus jura apostolicæ sententiæ plenius intelligere, oportet nos considerationem nostram altius attollere. Homo, ut in commune novimus, consistit ex gemina substantia, una corporea, alia incorporea. Corporea mori potest: incorporea non potest. Incorporea sine alimento subsistere potest, corporea vero omnino non potest. Sed corporea quidem substantia, que naturam suam de seipsa servare non potest, de seipsa instaurare, imo et multiplicare potest, quod spiritualis substantia omnino non potest. Vides certe quia alia est prærogativa corporeæ substantiæ, alia est prærogativa substantiæ incorporeæ. Prærogativa incorporeæ substantiæ, quod potest in æternum, et sine subsidio subsistere. Prærogativa corporeæ substantiæ, quod potest de sua substantia conformem sibi substantiam producere, et sui generis naturam seminando multiplicare. Hanc autem conformitatem substantiæ non possumus de nobis producere sine



distractione, ut sic dicam, propriæ substantiæ. Generatio namque prolis non fit sine quadam decisione generantis. In quo et illud notandum quod hæc parentis in hoc opus decisio non fit, sed nec fieri potest de quolibet corporis membro, sed eruitur ab intimo et velut de quodam sui generis thesauro in intimis misso, et in id officii recondito. Sed cum nihil excellentius datum videatur corporeæ substantiæ hac dote naturæ, gloriosius tamen est ab hoc officio cessare, quam exercere, eo quod post corruptionem naturæ impleri non possit sine libidine, et fœda delectatione. Nam quod licet hoc exercere in propria conjugæ, et causa tantum prolis generandi, hoc ipsum si bene attendas, indulgentiæ est potius quam pudicitia. Est autem in potu et cibo non modica delectatio, nec tamen est vitiosa, nisi cui nimia fuerit, et in crapulam, vel ebrietatem transit. In crapula autem et ebrietate est quædam distractio alienæ substantiæ. In opere vero libidinis est quædam distractio et decisio propriæ substantiæ. Ibi quidem vitiositatis exactio fit in corpore alieno. Hic autem in corpore proprio, imo ab ipsius corporis intimo. Bene itaque de reliquis dictum est, quoniam omne peccatum extra corpus est. Peccat autem non modo in intimo sui, sed et in ipsum corpus suum qui fornicatur, quoniam in turpitudinis usus corpus suum exinanire videtur et divini inuneris prærogativa tam in suas quam in alienas sordes abutitur.

Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire (I Cor. viii). Quid, quæso, ad ista dicemus? Ut de cæteris taceamus, quid de ipso Apostolo dicturi sumus? Si Apostolus se aliquid scire non æstimabat, qua fronte cæteros prædicando, scribendo, docere satagebat? Et si verum esse non existimat quod ex verbis præmissis denuntiat, quid, quæso, id ipsum tam constanter affirmat? Si se aliquid scire non existimavit, quid est quod superius præmisit, cum dicit: De his autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus? Sed hoc ipsum quod hoc loco videtur dicere in sequentibus videtur contradicere. Sed non in omnibus, inquit, est scientia. Quomodo, quæso, omnes scientiam habent, si in omnibus scientia non est, et eam habentibus quomodo deesse potest? Sciendum itaque est quod alia est illa scientia quam habent omnes. Alia autem quam quidam non habent, sed habere valent. Alia vero quam in hac vita nemo habet, sed nec habere valet. Omnes scientiam habemus, ecce de prima. Non in omnibus est scientia, ecce de secunda. Ad tertiam autem respicit Apostolus in eo quod dicit: Si quis autem se existimat aliquid scire, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire (Rom. ii). Scientiam discernendi inter verum et falsum, bonum et malum, justum et injustum, quamvis alii perfectius, alii imperfectius, omnes tamen in commune habemus Judæi, Græci, Barbari et Latini. Nam si ista scientia fidelibus et infidelibus communis non esset, nullo modo Aposto-

lus dixisset: Cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis (ibid.). Ecce de scientia quam omnes habent. Sed scientiam quæ cum accepta gratia cuique sufficiat ad salutem multi non habent, adhuc tamen habere valent. De ejusmodi scientia intelligitur quod rectum ab Apostolo dicitur: Sed non in omnibus est scientia (I Cor. viii). Quam ejusmodi scientiam ibi intelligi voluit, ostenditur in eo quod præmisit. Nam, etsi sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo; et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, et nos per ipsum. Ad hoc autem illam quæ omnibus est communis accipimus, ut illam quæ sufficiat ad salutem quærere et invenire possimus. Hanc autem vere salutis scientiam, alii habent majorem, alii minorem, et contingit sæpe salvari eos qui habent minorem, et perire eos qui habent majorem. Magnitudo namque scientiæ quibusdam est fomes superbiæ, et eo ipso causa ruinæ. Hoc ipsum innuit qui dicit: Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi angelus Sathanas stimulus carnis meæ qui me colaphizat (II Cor. xii). Nemo autem qui est in hac vita ad plenum potest scire utrum jam cum accepta gratia, scientia quam habet possit sibi ad salutem sufficere. Hæc est scientia quam in hac vita nemo habet, nemo apprehendere valet: Et si simplex, inquit Job, fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea (Job ix). In eandem sententiam currit quod Salomon dicit: Nescit homo utrum amore an odio dignus sit (Eccl. ix). Habemus ex ejus sententia quod ignoret homo quid conducat sibi in vita sua. Habemus secundum eundem: Quia nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo sic, etc. (Ibid.) Ex his itaque verbis pro certo intelligimus quod certe securitatis scientiam in hac vita habere non possumus. Si igitur secundum Salomonem omnia in futuro incerta servantur, vide quid tibi sentiendum sit de scientia tua. Certe etsi magnum quid videatur secundum quantitatem, nescis si vel modicum quid sit, nescis si vel aliquid sit omnino tibi ad utilitatem. Qualis, quæso, dicenda illa existimatio rei de qua nescis quantum ad te, utrum sit aliquanti vel nihili. Debemus itaque quantum possumus ad scientiam proficere, quantumcunque tamen profecerimus pro nihilo reputare, quandiu non possumus de ejus sine certum judicium habere. Juxta hanc itaque considerationem recte intelligitur quod per Apostolum dicitur: Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.

Omnis amor aut est solum gratuitus, aut solum debitus, aut debitus simul et gratuitus. Modis autem duobus intelligi potest amor gratuitus. Recte dicimus dilectionem gratuitam quæ est secundum solam gratiam. Plenitudo veri et summi amoris est

quando tantus et talis est quo major vel melior esse A cellentia omnino alienum est quiddam secundum non potest. Ubi non est summa perfectio, non valet, sed nec debet esse summa dilectio. Secundum solam gratiam est quod pro beneplacito tribuentis juste impendi, vel non impendi potest. Sed a divina ex-

cellentia omnino alienum est quiddam secundum solam gratiam dici potest. Item amor gratuitus non incongrue dicitur, ubi tribuenti omnia nil nisi amor retribuitur.

## IN APOCALYPSIM JOANNIS LIBRI SEPTEM.

### PRIMUS PROLOGUS IN SEPTEM LIBROS

Accipe, frater charissime, hoc sententiarum munus, quas tibi de verbis Apocalypsis beati Joannis apostoli et evangelistae fieri postulasti. Libenter enim in hoc opere studii nostri labores impendimus, ut habeas ex hoc quoque libro, sicut ex cæteris plerisque Novi vel Veteris Testamenti libris quod aensum tuum erudiat, affectum accendat, studium ad majora promoveat, et perducatur; et, sicut alibi diximus, ex his omnibus nobis gratiam non damus, sed Deo, de cujus dono, et sanctis doctoribus, de quorum plenitudine haurimus quæ propinamus. Liber iste per septiformem Spiritus sancti gratiam editus, septem episcopis, et septem Ecclesiis Asiae directus, ac potius universali Ecclesiae sanctae per orbem circumquaque dilatatae septem spiritualibus donis ditatae divina providentia ad eruditionem et consolationem datus per septem divisiones distinguitur. Posito namque titulo libri ubi additum est, Joannes septem Ecclesiis. Prima visio sic incipit, ubi dicitur: *Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Jesu. Secunda visio incipit, ubi scriptum est: Post hæc vidi et ecce ostium apertum in caelo, et vox prima quam audivi tanquam tubae loquentis mecum. Tertia, sic incipit: Et vidi septem angelos stantes in conspectu*

*B Dei, et datae sunt illis septem tubae. Quarta visio incipit, ubi ait: Et apertum est templum Dei in caelo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus. Quinta visio incipit, ubi dicit: Et vidi aliud signum in caelo, magnam et mirabile, septem angelos habentes plagas novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei. Sexta visio incipit his verbis: Et post hæc vidi alium angelum descendentem de caelo habentem potestatem magnam. Septima visio incipit, ubi scriptum est: Et vidi caelum novum et terram novam. Secundum istarum itaque septem visionum distinctionem, quiddam exponendo dicimus, per septem libros dividimus. Primus etenim liber tractat de visione prima. Secundus liber tractat de visione secunda. Tertius liber tractat de visione tertia. Quartus liber tractat de visione quarta. Quintus liber tractat de visione quinta. Sextus liber tractat de visione sexta. Septimus de visione septima. Accipe itaque, charissime frater, schedulam istam, in qua et si tantam medullam mirabilium mysteriorum non valeam attingere, aliqua tamen circa superficiem studeo carpere, in quibus invenies plurimam prudentiae utilia, si ea quæ scripta sunt legere, et memoriae commendare curaveris.*

### PROLOGUS ALTER

*Joannis evangelistae vitam brevi stringens sermone, necnon et causam suscepti operis.*

Beatus Joannes caelestium mysteriorum theologus, quem Christus de nuptiis revocavit, apostolum et evangelistam constituit, qui privilegio dilectus amoris, supra pectus Domini familiariter in cœna recubuit, cui Christus in cruce matrem commendavit. Post divisionem apostolorum in orbem universum, divina disponente providentia, in Asia Minori sacrae fidei verbum post beatum Paulum, sicut legitur, prædicavit. Habet Asia septem civita-

tes: Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardiniam, Philadelphiam, Loadiciam, inter quas Ephesus metropolis est aliarum. Ordinatis itaque episcopis in præfatis civitatibus cum archiepiscopo, ipse sanctus Joannes vacabat prædicationi; unde audita hac beati apostoli evangelizandi constantia, in ferventis olei dolium Domitianus imperator eum misit, et cum inde illæsus exisset, in Patmos insulam quæ in mari Syrico sita est, eum